

*de appellatione in possessione summariissimo
secundum ius Saxon.*

Q.D.C. 181. 18

Ve
1997

PROCANCELLARIUS IOHANNES GODOFREDVS BAVER

D E

ACTORE, AN ET QVATENVS POST
ORDINATIONEM PROCESSVS SAXONICI
ELECTORALIS RECOGNITAM IN POSSESSORIO
SVMMARIISSIMO REMEDIO GAVDEAT SVSPENSIVO?

DISSERENS

S V M M O S

IN VTROQVE IVRE HONORES

PRAENOBILISSIMO AC LAVDATISSIMO CANDIDATO

ANDREAE SIGISMUNDO GREENIO
CHEMNITIENSIS

DIE XXIV. OCTOBR. CICDCCCLIV

CONFERENDOS

INDICIT



PROCVNCIGLITTARIS
LOHANES . GODORESAS . DYANE

THEATRE . AND THE DYATEMAN . LOST
...
WILHELMS . HANDELMANS . HANDELMANS . HANDELMANS

WILHELMS . HANDELMANS . HANDELMANS . HANDELMANS
ANDREE . SIGNEDTO . CHIRNHOE

WILHELMS . HANDELMANS . HANDELMANS . HANDELMANS



Iudex secundum religionem et conscientiam proununtiare, et ne quicquam gratiae alicui litigantium tribuere debet. l. 3. §. 1. verb. vel gratiae dantem. d. recept. qui arbitr. recep. l. 79. §. 1. verb. materiam gratiae vel ambitionis. d. iudic. Vnde iura tantopere fauorem in iudice detestantur, vt statuant, in dolo versari gratificaturum. l. 15. §. 1. Eod. Contrariari quidem videtur regula: fauorabiliores rei potius, quam actores habentur. l. 125. d. R. I. Sed enim vero separandus est vnius personae priuatae fauor, in iudice damnatus, a fauore caussae, vel certi generis personarum, qualis interdum in iudiciis obtinet, legislatore iubente. Ad certi generis personas, peculiari donatas fauore, pertinent rei, qui regulariter quidem, minime tamen certae habito respectu personae, fauorabiliores habentur, quam actores. d. l. 125. Quapropter in graecis tribunalibus dextrum latus reis, sinistrum vero actoribus datum fuisse videtur. conf. M E N A G. amoenitat. iur. ciu. c. 34. Ac fauor iste diuersimode in processu iudicario vires exserit suas. Nam reus absolvitur potius, quam condemnatur. l. 47. d. O. et A. l. 5. d. poen. Reus, et si nihil praestet,

IV.

praestet, actore non probante absoluitur. *l. 4. C. d. edend.*
 In dubiis caussis, ob inopiam probationum, reo magis, quam
 actori, iusitrandum deferendum est. *d. l. 47. d. O. et A. c.*
vlt. §. sane. X. d. iureiur. c. cum sint. II. d. R. I. in 6to. Reus
 defensionis caussa editionem instrumentorum petere potest
 ab actore, non vicissim actor a reo, *l. vlt. C. d. Edend.* et,
 ut plura eius generis alia, a **IACOBO GOTHOFREDO** et
WISSENBACHIO ad *d. l. 125. d. R. I.* adducta, silentio omit-
 tam, cum laudata regula concordat alia: *actori non debet li-
 tere, quod reo non permittitur. l. 41. pr. d. R. I. c. 32. d. R. I.*
in 6to. Evidem *d. l. 41. d. R. I.* desumpta est ex **VLPIANI**
libr. 26. ad Edictum, quo, de iureiurando actum esse, fidei
 faciunt *l. 18. 23. 25. 34. d. iureiur.* Vnde huic legi sequentem
 aptat speciem **IACOBO GOTHOFREDVS** ad *d. l. 41. d. R. I.*
 Actori, ob defectum probationis, reo iusitrandum deferre
 licet: Praetor igitur reo dat facultatem iusitrandum actori
 referendi, quia displicere non debet conditio iurisiurandi ei,
 qui detulit, *d. l. 34. §. 6. d. iur. iur.* et reo non potest non
 permitti, quod actori licet. *d. l. 41. pr. d. R. I.* Interim opera
 forte faciliori huius regulae usus in pluribus aliis cernitur spe-
 ciebus. Sic reo non licet post item contestatam procura-
 torem reuocare, nisi caussa cognita. *l. post item. 17. l. quae
 omnia. 25. d. procurat.* Non igitur idem licet actori. *conf. O.
 P. S. R. ad tit. VII. §. 4.* Non licet reo testes producere,
 postquam dicta testimonia sunt aperta et publicata. *Auth. at
 qui semel. C. d. probat.* Vnde idem actori non est permitten-
 dum. Pari ratione, si in possessorio summarissimo remedia
 deneges suspensiua reo, contra decretum, vel sententiam,
 qua actor in momentanea defenditur possessione, facile est ad
 intelli-

intelligendum, multo minus actori remedia ista competere, quando is defensionem in praesenti possessione iniuste petuisse censetur. Quoniam enim rei fauorabiliores habentur, quam actores, d. l. 125. d. R. I. actori non debet licere, quod reo non permittitur. d. l. 41. pr. Eod. Verumtamen, an in possessorio summarissimo illi, contra quem lata est sententia, permitatur appellatio, aliud remedium suspensuum? neque iura in Germania, quae recepta, neque legum Doctores conspirant. Quod ius Canonicum appellationem admittat, insinuant cap. 10. et 15. X. d. restit. spoliat. cap. 2. X. ut lit. non contestat. Ius Romanum vero illi denegat locum. l. vn. C. si de moment. possess. fuerit appellatum. Haec igitur iurium dissensio facili negotio arduam inter ICtos, tam respectu interpretationis, quam adlicationis, operata est dissensionem. Iuri Canonico, quod regulariter ratione eorum, quae processum concernunt, iuri civili praefertur in Germania, STRVV Ex. II. thes. 39. WESENBEC in Paratitl. tit. d. appellat. insistendum, et remedia suspensiua admittenda esse, contendunt MENCKEN ad Process. Tit. XXXV. §. 16. RIVINVS ad dict. tit. Enunciati. 8. MEVIUS P. I. Dec. 25. E contrario ius praeferunt civile, et remedia reiiciunt suspensiua CARPZOV P. I. def. 24. DN. DE BERGER Oecon. Iur. L. IV. tit. 30. §. 5. not. 15. IDEM in Elest. Proc. Possess. §. XLIII. DN. DE WERNHER P. II. Obs. 387. BARTH Hodeget. forens. C. V. §. 13. LUDOVICI Proc. ciu. C. I. §. 7. GAIL. L. I. Obs. 7. MYSING. dict. Cent. I. Obs. 13. Alii dispositionem iuris Canonici ad possessorium restringunt ordinarium, CARPZOV L. I. Rsp. 9. HERCVLAN. d. attentat. C. IV. n. 2. quemadmodum responderunt ICti Vitebergenses apud DN. DE BERGER

VI

P. II. Suppl. ad El. Disc. For. Tit. XXXV. p. 592. nec non I Cti Lipsienses apud RIVINVM ad dict. Tit. XXXV. Emunc. 8. p. 1200. Alii tum demum in possessorio summarissimo remedia admittunt suspensiua, siquidem super expensis et damnis simul pronuntiatum, aut utraque pars sententiam, super possessione latam, impugnauit. vid. GRIBNER Princ. Proc. L. II. c. 7. §. 15. Rursus alii inter effectum appellationis suspensiuum et deuolutium distinguunt, illum quidem, quo sententia a viribus rei iudicatae arcet, et executioni mandari nequit, negantes, hunc vero, deuolutium, quo caussa a iudice inferiori ad superiore deuoluitur, ut hic illius iustitiam denuo examinet, desuperque pronuntiet, admittentes. FACHIN. Controu. L. I. c. 73. BRUCKNER d. remed. contr. sentent. in iudic. possessor. summarissim. lat. §. VIII. seqq. i. s. STRYK d. appellat. non suspensi. in possessor. summariss. §. XX. seqq. Denique alii effectum deuolutium ita circumscribunt, ut iudex inferior ab executione sententiae tantisper abstinere, ac caussam ad superiore referre, hic vero appellationem mox reiicere, vel sententia sua inadmissibilem declarare cogatur. DN. DE BERGER El. Proc. Poss. d. §. XLIII. DN. DE WERNHER P. II. dict. Obs. 387. Quid igitur mirum, non eandem collegiorum, quae iuri dicundo praefunt, fuisse sententiam? Nam collegia Vitembergensia remedia suspensiua regulariter reprobauere, Lipsiensia vero admiserunt. GRIBNER Princ. Proc. L. II. c. 7. §. 14. Quin mirum non est, in tanta legum et I Ctorum pugna unum idemque collegium non raro fluctuasse, et modo hanc, modo illam adprobasse opinionem. Quod Ordini nostro contigisse probant praeiudicia a MENCKENIO ad Proc. Tit. XXXV. §. 16. et RIVINO ad eund.

eund. titul. d. Enunc. 8. allata, quemadmodum ipse met id plus vice simplici obseruaui, quamuis nunc fere constantius in sententiis, ad prouincias, extra Electoratum Saxoniae, directis, nisi lex prohibeat singularis, vestigiis iuris Canonici nostrum infistat collegium, ac remediis locum relinquat suspensiis. Nam in Saxonia Electorali alia obtinent omnia, postquam allegata sententiarum ac opinionum varietas Potentissimum Saxoniae Electorem commouit, ut dictis disceptationibus finem imponeret, in appendice O. P. S. R. §. XIX. disponens, neque leuterationi, neque appellationi locum esse, quamuis non solum in possessione momentanea quis defendatur, sed et simul super damnis vel expensis pronuntietur, aut pars vtraque talismodi adhibeat remedium, vt tamen, interposita appellatione, de eadem iudex inferior referat ad superiorem, nec non litigantibus, qui beneficio gaudent restitutio-
nis in integrum, loco huius beneficii, uno, vel leuterationis,
vel appellationis, remedio vti liceat. Ipsa sanctionis verba:
sondern so fort hauptsaechlich erkannt, und derienige, so einen oder mehrere rubige actus possessarios, und in possessione iurium et seruitutum, und zwar bey seruitutibus continuis wenigstens eine iaehrige possess, in discontinuis aber, hebst solcher iaehrigen possess, wenigstens drey richtige actus vor sich hat, in possessorio geschützt, auch wieder ein dergleichen Urtheil weder leute-
rung, noch appellation, wenn auch gleich auf Schaeden oder Un-
kosten mit erkannt, oder beyde Theile zugleich ein solches re-
medium eingewendet haettent, angenommen, jedoch von dem Unter-Richter auf die appellation berichtet, denenienigen Personen aber, so das beneficium restitutio-
nis in integrum zustehet, statt desselben, eine leuterung, oder appellation, weiter aber gleichfalls
kein

VIII

kein remedium zugelassen werden, tam clara sunt, tamque per-
 spicua, ut pene nulla indigere interpretatione, sed omni ex-
 emta dubio videantur. Quam ob caussam dubio carere puto,
 quod sanctio ista non minus actorem, quam reum, tangat, et
 regulariter actor, ob inopiam probationis repulsam ferens, ta-
 lismodi sententiam a viribus rei iudicatae arcere nequeat,
 sicuti, possessione ab ipso probata, reoque hanc ob caussam
 condemnato, hic regulariter remedio destituitur suspensiō.
 Haud quaquam censeas, verba legis: *in possessorio geschützt,*
auch wieder ein dergleichen Urtheil, etc. tantum ad speciem,
 qua actor in possessione defenditur, ac reus condemnatur, per-
 tinere; neque inferas, sententiam, qua actoris petitio iniusta
 dicitur, defensionem in possessione non complecti, adeoque,
 in formula nouae legis non contentam, remediis suspensiis
 subiectam esse. Nam verba legis: *derjenige, so einen oder*
mehrere ruhige actus possessorios vor sich hat, soll in possessorio
geschützt werden; tam ad reum, quam ad actorem pertinere,
 manifestum est, in primis, si ea, quae sequuntur, quibus reme-
 dia reprobantur suspensiua, etiam si vtraque pars iisdem vta-
 tur, cum prioribus connectas, nec non perpendas, sententiam
 definitiuam, qua petitio actoris reiicitur, verbis: *dass Klaegers*
Suchen nicht statt hat; reum in possessione, quam actor sibi
 vindicare intendebat, confirmare. Non obicias, verba in-
 cidentia: *so einen oder mehrere ruhige actus possessorios, und*
in possessione iurium et seruitutum, und zwar bey seruitutibus
continuis wenigstens eine iaehrige possess, in discontinuis aber,
nebst solcher iaehrigen possess, wenigstens drey ruhige actus vor
sich hat, actorem respicere. Nam saepissime reus in rede-
 monstratione, se in possessione annua constitutum esse, ac
 plures

plures actus possessorios quiete exercuisse, docet. Hoc facto, an non verba ista ad eundem quadrant? reiectaque actoris petitione reus in possessione defenditur? Etsi neque demonstratio, neque redemonstratio in actis adpareat: attamen propterea, quod actore non probante reus absoluitur, hic possidere actusque possessorios, quos lex requirit, exercuisse praesumitur. Deinde omne exsulat dubium, siquidem praedictas, quae nouae legi ansam dedere, in memoriam reuoces controuersias, quarum nulla, propter rationes allatas, quod actori licere non debeat, quod reo non permittitur, reique fauorabiliores quam actores habeantur, actori meliorem, quam reo, assignauit conditionem. Tandem non leue addit pondus *O. P. S. R. ad Tit. XXXV. §. 1.* quo leuterationi in possessorio summariissimo, nulla inter actorem et reum facta distinctione, locus denegatur. Quod secundum *§. 6. ad dict. Tit.* itidem de appellatione accipendum est, quia hactenus nullum inter appellationem et leuterationem intercedit discrimen, quippe quod verba *d. §. XIX.* non agnoscunt. Nullas igitur, saltem non idoneas videamus rationes, quibus, in causa possessorii summiissimi, inter actores, *Ioh. Samuel Hüttnerauch und Conf.* nec non reos, *Andreas Dreslern und Conf.* coram iudicio pagano Vizeburgensi ventilata, sententiam Facultatis nostrae, qua, ob inopiam probationis, petitionem actoris locum non habere, *Mens. Aug. 1753.* diximus, ICti Vitembergenses, post interpositam ab actoribus, et ab administratore Iurisdictionis imperite admissam leuterationem, insuper habita exceptione leuterationis non admissibilis, corrigere, nec non actoribus, quamuis nemo de iis beneficio restitutionis in integrum gauderet, possessionem momentaneam, *bis ein anderes in possessorio ordinario, oder petitorio ausgeführt,*

B

Menz.

Mens. Mai 1754. addicere maluerunt. Nouimus quidem, ICtos Vitembergenses tum, quando actor in possessorio summariissimo possessionem in primo termino non demonstrauit, probationem et reprobationem partibus iniungere per sententiam, sieque processum institutum pro possessorio ordinario habere solere. Sed et haec procedendi ac pronuntiandi ratio dispositioni d. §. XIX. in App. O. P. S. R. saltem regulariter repugnat, quia lex non interlocutoriam admittit, sed definituam postulat sententiam, quae idcirco vel condemnatoria, vel absolutoria sit necesse est. Quando enim Curia Suprema Prouincialis Lipsiensis, in termino *zum Verhoer* praefixo, possessionis momentaneae, quae dubio subiecta, demonstrationem et redemonstrationem intra spatum Saxonicum, per interlocutionem decernit, haec singularitas ad consequentiam non est trahenda, quia dependet a singulari iudicii, *zur Güte*, quod vocatur, forma, cui dispositio d. §. XIX. non respondet. Deinde si breui manu possessorium summariissimum per iniunctam probationem et reprobationem in possessorium ordinarium conuertitur, verendum est, ne reo facultas probandi exceptiones peremptorias, litis contestationi non subiectas, admittatur, quas tamen, quia in possessorio summariissimo iis locum non esse intelligebat, impune non opposuit. Quam ipsam fuisse caussam auguramur, cur Ordinatio Recognita de possessorii summariissimi in ordinarium conversione nihil disposuerit. Fac vero, eam conuersionem non penitus improbandam esse, si reus omnia, quae ad possessorium ordinarium spectant, protulisse videatur, quemadmodum in huiusmodi visione etiam Ordo noster aliquando dictauit probationem et reprobationem, nihilominus cum expressis dictae legis verbis, nec non ratione et analogia iuris, ut probauimus, pugnat,

pugnat, si tu post sententiam definitiām, in possessoriō summa-
riissimā latām, contra eiusmodi pronuntiatum leuterationem vel
appellationem, exsulañte licet beneficio restitutionis in integrum,
admittas. Rectius ergo in memorata specie Curia Suprema
Provincialis Lipsiensis, postquam sententiam ICtorum Vitem-
bergensium rei per leuterationem impugnauerant, actores vero
remedium, quo ipsi met anteā usi, non sine impudentia eis dene-
gare, propterea contra terminum prosequendae leuterationis ad
laudatam Curiam appellare, quin et coram eadem querelam
contra iudicem inferiorem, ob admissam leuterationem, mouere
ausi fuerant, tam hac, quam appellatione reiecta, iudici inferiori
cassationem omnium eorum, quae post sententiam ICtorum
Lipsiensium peracta, nouissime *mens.* Septembr. 1754. imperauit.

Interim, saluo iure Saxonico Electorali, et si benefi-
cium restitutionis in integrum cesseret, tam leuteratio, quam
appellatio locum inuenit, si iudex te audire nolit, qualem limi-
tationem iam olim defendit D N. DE BERGER El. Proc. Poff.
§. XLV. n. 1. Quo pertinet, si actio, prout instituta est, con-
sueta formula: *dass die Klage angebrachter massen nicht statt hat;*
reiicitur. Ita enim sententia super possessione nondum est lata,
sed huius diiudicatio, donec libellus perspicuus, non obscurus,
nec nimis generalis, sed concludens offertur, est suspensa. Sal-
tem contra sententiam, qua quis de litigatoribus in possessione
defenditur praesenti, prohibentur remedia suspensiua in d. §.
XIX. Quomodo dispositionem generalem d. §. 1. ad Tit.
XXXV. iunct. §. 5. quia haec ex d. §. XIX. lumen accipit suum,
accipere oportet. Contra interlocutionem igitur, qua actio,
prout instituta est, reprobatur, si actor, mediante remedio su-
pensiuo, ex demonstratione actis inserta, in qua illud quoque,

quod libello deest, supplere valet, postquam reus redemonstratione usus est, vel uti potuisset, doceat, se in praesenti rei con-
trouersae esse possessione, nihil obest, ne leuteratio vel appellatio censetur admittenda, prior sententia corrigatur, atque actor in possessione, quam generaliter demonstrauit, defendatur, etiam si reus, obiectum litis distinguens, aliquam obuertat ambiguitatem. Vnde quum ante aliquot annos vasallus contra subditos possessorium exercebat summarissimum, ab iis trituram omnis frumenti in horreis beneficialibus collecti petens, eiusque praesentem probans possessionem, subditi vero inter frumentum in agris feudalibus, et frumentum in agris allodialibus natum distinguerent, illius quidem trituram concedentes, sed huius excussionem negantes, idcirco, quod speciatim posterioris triturae possessionem non probauerit actor, ac, si forte ipsi frumenti grana, ex agris allodialibus collecta, terendo excusserint in horreis feudi, se tamen, huius rei ignaros, eo ipso sibi non praeiudicasse, exciperent, inde in prima instantia actio, prout instituta, per sententiam reiiceretur, post interpositam ab auctore, et coram Regimine Martisburgensi iustificatam appellationem, Ordo noster propterea consultus, appellationi locum esse iudicauit, nec non secundum ea, quae appellans in prima demonstrauerat instantia, priorem correxit sententiam, in caussa C. L. B. Appellanten an einem, G. K. und Conf. Appellanten andern theils, mens. Jul. 1752. Pari ratione, quum in processu inhibituo in caussa G. v. B. contra L. D. I. S. u. Conf. termino Luciae 1740. Curia Suprema Prouincialis Lipsiensis decernendo pronuntiauerit: dass Klaegers Suchen gestalten Sachen nach alhier nicht statt hat, post interpositam appellationem Summus Prouocationum Senatus Dresdensis hanc non solum pro admittenda habuit, sed et dictum

dictum decretum mens. Aug. 1742. dass Appellant mit seinem in Actis sub no. 33. vor Unserm Ober-Hof-Gericht beschobenen Suchen nicht abzuweisen, sondern Appellat und Mitappellat daselbst sich darauf einzulassen schuldig, cet. reformauit. Verum tamen plura addere prohibet commendatio, non diutius differenda, Nobilissimi ac praestantissimi Candidati

ANDREAE SIGISMUNDI GREENII

qui natus est Chemnitii X. Kalend. Febr. ann. cI*I*CC XVII,
patre summe reuerendo, GEORGIO SIGISMUNDO GREE-
NIO, SS. Theologiae Doctore, Pastore apud Chemnitientes
primario, et circumiacentis tractus Superintendente, nec non
scholarum eiusdem Dioeceseos Inspectore, GEORGII GREE-
NII, Professoris primo Vitembergensis, postea in Serenissimi ac
Potentissimi Principis IOANNIS GEORGII III. Electoris
Saxonie aula Concionatoris et tandem designati Concio-
natoris primarii, Confessionarii et Consiliarii Ecclesiastici, filio,
matre vero praestantissima, SUSANNA CHRISTIANA,
TILEMANNI ANDREAE RIVINI, Theologi Lipsiensis,
Ebraeae linguae Professoris et ad D. Thomae aedem Archidia-
coni, filia. Optimi parentes, quorum cineres iusta veneratur
pietate Candidatus, id maxime curarunt, vt ille baptismatis sa-
cramento initiatus, et in foedus diuinum receptus, a prima in-
fantia genuinis sanctissimae religionis principiis solidisque ele-
gantiorum litterarum fundamentis imbueretur. Is igitur tradit-
us est priuatae institutioni GOTTLÖBII ERNESTI HEN-
NIGII, nunc Potentissimo Poloniarum Regi et Principi Ele-
ctori Saxonie a consiliis commissionum, et M. GODOFREDI
IASPIDIS, postea verbi Diuini apud Gloessenses prope

XIV

Chemnitium Ministri et in arce Chemnitensi Concionatoris,
affinis sui amantissimi, quem praepropero fato extinctum luget.
Deinde publicam, quae Chemnitii floret, scholam ingressus, a
beato M. DANIELE MULLERO, Rectore, M. IOANNE
FRIDERICO GVHLINGIO et M. IOANNE GABRIELE
BEILIO, Correctoribus, quorum ille, GVHLINGIUS, nunc
Archi-Diaconi ad D. Iacobi, hic, BEILIVS vero, itidem affi-
nis maxime colendus, Diaconi ad D. Ioannis sacro munere
Chemnitii fungitur, ad intimorem cum misis familiaritatem se
strenue ductum esse gaudet. His praeceptoribus quantum in
studiis et formando ingenio debeat, nunquam non grato re-
cordatur animo. Sexennium in hoc Lyceo emensus, anno
C**I****D****I****O****C****C****XXX****III**. Chemnitio vale solemniter dixit, aliam
salutaturus Lipsiensem, cui etiam nomen suum professus est, a
Rectore tum Magnifico, LEHMANNO, nunc beato, in album
studiosorum relatum. Ex quo tempore scholas MULLERI
philosophicas, iuridicas autem, nunc Nobilis Domini DE
GAERTNER, GRIBNERI, GEBÄVERI, BAVDISII, SI-
GELII, GOTTLÖBII RIVINI, HÜBLERI, et disputato-
rias GRAFFII, aliorumque frequentauit. Inprimis eximiam in
pretio habet felicitatem, quod cum, collega noster coniunctissimus,
Vir summe Reuerendus, DN. IO. FLORENS RIVI-
NVS, cui consanguinitatis pariter, atque affinitatis vinculo iun-
ctum esse, gloriae sibi dueit, per continuos quinque annos, in
hac Academia studiorum causa versatum, non solum conuictu,
sed et perpetuo vitae ac studiorum moderamine dignatus fuerit,
praetereaque in omnibus tam publice, quam priuatim habitis
praelectionibus curatore iuris theoria instruxerit, ac ad rerum
forensium culturam rite præparauerit. Sub eius præsidio
quoque

quoque anno C I O I O C C X X X V . d . IV . Non . Apr . in auditorio
 ICtorum titulum de exceptionibus , cum reliquis Lib . XXXIV .
Pandectarum , secundum MENCKENII *Synops . Theor . et*
Prax . respondendo defendit . Anno C I O I O C C X X X V I I . pri-
 die Kalendar . Iun . exhibita prius ex actis relatione , ab Ordine
 nostro ad examen pro praxi , quod vocatur , admissus , et munere
 aduocati omnino dignus iudicatus est , nec minus , specimine ,
 quod praeterea a praxis forensis Candidatis exigitur , exhibito ,
 Illustrissimi Regiminis Dresdensis adprobationem reportans , to-
 tus in eo fuit , ut publicis fori exercitationibus studia confirma-
 ret sua , operique Diuinis auspiciis suscipiendo manum admo-
 veret . Quae meditans , suasore laudato R I V I N O , anno
 C I O I O C C X X X V I I I . in Praefecturam Regio - Electoralem
 Wurzensem se contulit , actis ibi dirigendis praefuturus , abitu-
 rientem vero Ordo noster Notarium publicum Caesareum re-
 nuntiauit . Amoena recordatione laetatur de Patronorum
 fautorumque , quibus Wurzenae innotuit , benevolentia haud
 vulgari , praesertim Illustris ac summe reuerendi D N . BERN-
 HARDI SIGISMUNDI A KOENNITZ , Potentissimi Re-
 gis nostri in Regimine Episcopatus Misnenis , quod Wurze-
 nae residet , Consiliarii , Consistorii Assessoris , Capituli Wurze-
 nis Canonici et Custodis , nec non Scholarchae in Prouinciali
 Portensi , gratiam , et D N . FRIDERICI ERDMANNI FREY-
 STEINII , Haereditarii in Zschorna , Potentissimo Regi no-
 stro a consiliis commissionum , et Metrocomiae Wurzensis
 Praefecti , fauorem et humanitatem venerabundus celebrat , tan-
 taeque felicitatis , qua Vterque ipsum exornauit , memoriam
 spondet ac testatur immortalem . Biennio vix elapso anno
 C I O I O C C X X X . amplissimi Senatus Chemnitiensis suffragiis in
 patriam

K. 1997 BK X 3155157

patriam reuocatus, munus Poligraphi in curia subiit, eaque
 sparta ad Senatus et ciuitatis Syndici munia viam sibi parauit,
 ad quae anno C I C I D C C L . feliciter adscendit. Nunc , vbi
 nostrum adiit Ordinem, dignitatis doctoralis adipiscendae caussa,
 in utroque examine, more maiorum cum ipsomet suscepto, tam
 virilem , quam elegantem utriusque iuris probauit peritiam,
 vñanimi voto dignissimus iudicatus , qui voti sui compos red-
 deretur. Quem in finem futuro die XXIII. Octobr. hora se-
 cunda pomeridiana in auditorio ICtorum legem 2. Cod. de his,
 qui sibi adscr. in testam. interpretaturus , die sequenti XXIV.
 Octobr. dissertationem inaugurealem , de prohibita praediorum allo-
 dialium diuisione , sine Praeside habebit. Simulac igitur lauda-
 tissimum hoc eruditionis suae absoluit specimen , Vir Illustris,
 D N . G V S T A V V S H E N R I C V S M Y L I V S , Potentissimo Regi
 nostro a consiliis appellationum, in Curia Suprema Prouin-
 ciali Lipsiensi assessor, ac Facultatis nostrae Senior, potestate
 promouendi a me, vice Cancellarii, praeditus, iura ac priuilegia
 doctoralia, excepto iure ad sessionem in collegio nostro
 adscendendi , secundum consuetudinem introducam ipsi con-
 feret. Quam solemnitatem ut RECTOR ACADEMIAE
 MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI DOMINI COMITES,
 ac Proceres utriusque reipublicae, praesentia sua promoueant,
 Generosissimi ac nobilissimi Academiae ciues vero simul cele-
 brent, obnixe rogamus. Lips. Dom. XIX. post Festum
 Trinitatis C I C I D C C L I V .

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26	50.80
B.I.G.																				
Blue																				
Cyan																				
Green																				
Yellow																				
Red																				
Magenta																				
White																				
3/Color																				
Black																				

Farbkarte #13

B.I.G.

ione in possessorio summerrissimo
in fide Saxon.



ANCELLARIUS GODOFREDVS BAVER

D E

ET QVATENVS POST
M PROCESSVS SAXONICI
ECOGNITAM IN POSSESSORIO
REMEDIO GAVDEAT SVSPENSIVO?

DISSERENS

V M M O S

VE IVRE HONORES

O AC LAVDATISSIMO CANDIDATO

IGISMVND O GREENIO
HEMNITIENS I

OCTOBR. CICICCLIV

N F E R E N D O S

I N D I C I T

